



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 47. Macriaca a Cæsareis obsessa, ac liberata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

retur, Nassoviæ Comes, qui in Buillio-
nii Ducis ditionibus castra metabatur,
trajecta Mosa Musomum cinxit. Urbs
est in Campania ambitu suo quidem e-
xigua Lucemburgum versus Sedanum
inter & Stenæum sita, loci tamen op-
portunitate valde celebris, ac proficua:
Cum vero Montmortius illius Präfe-
ctus milite præsidario destitutus esset,
Cæsaræi exercitus potentiae resistendo
impar ditionem facere compelleba-
tur. Ipsus ergo cum suo Locumtenen-
te Nassoviæ Comitem adiit, hic vero
improvida eorum fiducia abusus illos
detinuit, donec præsidarii penitus urbe
excessissent, quo facto Cæsarei Auban-
tonium, ignobile quoddam oppidum de-
prædabantur, ac connivente Comite
Nassoviensi in omnem licentiam effun-
debantur.

æccl. XVI.
A.C. 1521.

§. XLVII.

Maceriaca a Cæsareis obseffa, ac liberata.

Primis hisce victiarum auspiciis Co-
mes animo erexit, Maceriacam
quoque exiguo suorum dispendio occu-
pare sperabat. Pariter hæc civitas in
Campania ad Mosam Sedano & Carolo-
pi interjacebat cuidam ferme insulæ
imposita, quam amnis alluens hinc col-

G 2 le

Sæcul. XVI
A.C. 1521

le, illinc valle includit. Propugnabat illam cum ducentis equitibus, ac duobus recentis militiae millibus Bajardus Eques magnæ spei juvenis ex Illustri domo Tarilla & Anna Morentiaca progenitus. Verum ad primos Cæfareorum incurfus altera hujus præfidii pars per urbis portas fuga dilapsa est, ceteri per muros sese præcipites dederunt:

Hist. du Cheval. Bajard. e. 63. suorum tamen ignavia Bajardi animus adeo non frangebatur, ut & copiarum

defectum supplente illius fortitudine, Galliarum Regi suppetias ferendi spaciū præberet: Postquam igitur auxiliares hæ copiæ opportuno admodum tempore ductore Francisco Montogomericæ Leonicæ Toparcha advenerant, Seguineus, qui Cæfarei exercitus partis Mosam castra metanti imperabat, trajecto flumine vires suas Comiti Nassoviensi jungere festinabat; cuius repentini consilii caussam præbebat cujusdam rustici captivitas, qui a Cæfareis interceptus epistolam habebat velut a Bajardo ad Robertum Marchianum directam.

Scribebat commentitius ifste Bajardus hunc in modum: Notum tibi sit, Nassoviæ Comitem firmo constituisse animo, ut relictis Caroli vexillis Gallorum partibus proxime accederet; hinc rogo te, urgeas illum, ut quantocius consilium

Lorges

consilium suum exequatur; duodecim Secul. XVI.
A.C. 1521.
enim Helvetiorum millia Seguinei ca-
stris instant, ea everluri. Igitur Gallo-
rum suppetiæ hanc rerum vicissitudi-
nem in rem suam vertentes urbem præ-
sidio vacuam ingrediebantur, quo com-
perto Nassovius obsidione soluta ad Na-
mucensem Comitatum sese recepit.

§. XLVIII.

Gallorum victoriæ in Belgio.

Paulo post S. Pauli Comes Musomum
recuperavit, ac tota demum Cam-
pania hostili exercitu purgata Francis-
cus I. copias suas in Belgium duxit, u-
bi Cæfarei Tornacum assidua obsidione
premebant. Præprimis Vindocinensis
Dux Balmam, Landrecium, & Bunium
urbes toto unoque impetu aggressus
est, captasque solo æquavit: Cum ve-
ro Cæsar exercitum suum ad Valentia-
nas duceret, Rex strenue hostem suum
insequi atque ad prælium provocare sta-
tuit; ad id tamen obtinendum oportea-
bat superare Scaldim, quam ob rem
Rex quantocius Comiti S. Pauli nego-
tium dedit, ea parte, quæ Bunio subja-
cet, flumen ponte jungeret. Hujus
consilii executionem, ut impediret Nas-
soviæ Comes, nulla mora accurrebat,
mille ducentis peditibus, ac duobus mil-

G 3 libus